

AP Latin Aeneid Book 1

- 1 Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris
2 Italiam, fato profugus, Laviniaque venit
3 litora, multum ille et terris iactatus et alto
4 vi superum saevae memorem Iunonis ob iram;
5 multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
6 inferretque deos Latio, genus unde Latinum,
7 Albanique patres, atque altae moenia Romae.

8 Musa, mihi causas memora, quo numine laeso,
9 quidve dolens, regina deum tot volvere casus
10 insignem pietate virum, tot adire labores
11 impulerit. Tantaene animis caelestibus irae?

12 Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
13 Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe
14 ostia, dives opum studiisque asperrima belli;
15 quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
16 posthabita coluisse Samo; hic illius arma,
17 hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,
18 si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.
19 Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
20 audierat, Tyrias olim quae verteret arces;
21 hinc populum late regem belloque superbum
22 venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.
23 Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,

24 prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis -
25 necdum etiam causae irarum saevique dolores
26 exciderant animo: manet alta mente repostum
27 iudicium Paridis spretaeque iniuria formae,
28 et genus invisum, et rapti Ganymedis honores.
29 His accensa super, iactatos aequore toto
30 Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli,
31 arcebat longe Latio, multosque per annos
32 errabant, acti fatis, maria omnia circum.
33 Tantae molis erat Romanam condere gentem!

34 Vix e conspectu Siculae telluris in altum
35 vela dabant laeti, et spumas salis aere ruebant,
36 cum Iuno, aeternum servans sub pectore volnus,
37 haec secum: 'Mene incepto desistere victam,
38 nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
39 Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
40 Argivom atque ipsos potuit submergere ponto,
41 unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?
42 Ipsa, Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem,
43 disiecitque rates evertitque aequora ventis,
44 illum expirantem transfixo pectore flamas
45 turbine corripuit scopuloque infixit acuto.
46 Ast ego, quae divom incedo regina, Iovisque
47 et soror et coniunx, una cum gente tot annos
48 bella gero! Et quisquam numen Iunonis adoret

49 praeterea, aut supplex aris imponet honorem?

50 Talia flammato secum dea corde volutans
51 nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,
52 Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro
53 luctantes ventos tempestatesque sonoras
54 imperio premit ac vinclis et carcere frenat.
55 Illi indignantes magno cum murmure montis
56 circum claustra fremunt; celsa sedet Aeolus arce
57 sceptra tenens, mollitque animos et temperat iras.
58 Ni faciat, maria ac terras caelumque profundum
59 quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.
60 Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
61 hoc metuens, molemque et montis insuper altos
62 imposuit, regemque dedit, qui foedere certo
63 et premere et laxas sciret dare iussus habenas.
64 Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:

65 'Aeole, namque tibi divom pater atque hominum rex
66 et mulcere dedit fluctus et tollere vento,
67 gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,
68 Ilium in Italiam portans victosque Penates:
69 incute vim ventis submersasque obrue puppes,
70 aut age diversos et disiice corpora ponto.
71 Sunt mihi bis septem praestanti corpore nymphae,
72 quarum quae forma pulcherrima Deiopea,

73 conubio iungam stabili propriamque dicabo,
74 omnis ut tecum meritis pro talibus annos
75 exigat, et pulchra faciat te prole parentem.'

76 Aeolus haec contra: 'Tuus, O regina, quid optes
77 explorare labor; mihi iussa capessere fas est.
78 Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu sceptrum Iovemque
79 concilias, tu das epulis accumbere divom,
80 nimborumque facis tempestatumque potentem.'

81 Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
82 impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
83 qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.
84 Incubuerunt mari, totumque a sedibus imis
85 una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
86 Africus, et vastos volvunt ad litora fluctus.
87 Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
88 Eripiunt subito nubes caelumque diemque
89 Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.
90 Iutonuere poli, et crebris micat ignibus aether,
91 praesentemque viris intentant omnia mortem.

92 Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra:
93 ingemit, et duplicit tendens ad sidera palmas
94 talia voce refert: 'O terque quaterque beati,
95 quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis

96 contigit oppetere! O Danaum fortissime gentis
97 Tydide! Mene Iliacis occumbere campis
98 non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra,
99 saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens
100 Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis
101 scuta virum galeasque et fortia corpora volvit?"

102 Talia iactanti stridens Aquilone procella
103 velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
104 Franguntur remi; tum prora avertit, et undis
105 dat latus; insequitur cumulo praeruptus aquae mons.
106 Hi summo in fluctu pendent; his unda dehiscens
107 terram inter fluctus aperit; furit aestus harenis.
108 Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet -
109 saxa vocant Itali mediis quae in fluctibus aras -
110 dorsum immane mari summo; tris Eurus ab alto
111 in brevia et Syrtis urguit, miserabile visu,
112 inliditur vadis atque aggere cingit harenae.
113 Unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
114 ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
115 in puppim ferit: excutitur pronusque magister
116 volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
117 torquet agens circum, et rapidus vorat aequore vortex.
118 Adparent rari nantes in gurgite vasto,
119 arma virum, tabulaeque, et Troia gaza per undas.
120 Iam validam Ilionei navem, iam fortis Achati,

121 et qua vectus Abas, et qua grandaevus Aletes,
122 vicit hiems; laxis laterum compagibus omnes
123 accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

124 Interea magno misceri murmure pontum,
125 emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis
126 stagna refusa vadis, graviter commotus; et alto
127 prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
128 Disiectam Aeneae, toto videt aequore classem,
129 fluctibus oppressos Troas caelique ruina,
130 nec latus doli fratrem Iunonis et irae.
131 Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:

132 'Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
133 Iam caelum terramque meo sine numine, venti,
134 miscere, et tantas audetis tollere moles?
135 Quos ego - sed motos praestat componere fluctus.
136 Post mihi non simili poena commissa luetis.
137 Maturate fugam, regique haec dicite vestro:
138 non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
139 sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,
140 vestras, Eure, domos; illa se iactet in aula
141 Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet.'

142 Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat,
143 collectasque fugat nubes, solemque reducit.

- 144 Cymothoe simul et Triton adnixus acuto
145 detrudunt navis scopulo; levat ipse tridenti;
146 et vastas aperit syrtis, et temperat aequor,
147 atque rotis summas levibus perlabitur undas.
148 Ac veluti magno in populo cum saepe coorta est
149 seditio, saevitque animis ignobile volgus,
150 iamque faces et saxa volant - furor arma ministrat;
151 tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
152 conspexere, silent, arrectisque auribus adstant;
153 ille regit dictis animos, et pectora mulcet, -
154 sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
155 prospiciens genitor caeloque invictus aperto
156 flectit equos, curruque volans dat lora secundo.

157 Defessi Aeneadae, quae proxima litora, cursu
158 contendunt petere, et Libyaे vertuntur ad oras.
159 Est in secessu longo locus: insula portum
160 efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
161 frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.
162 Hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur
163 in caelum scopuli, quorum sub vertice late
164 aequora tuta silent; tum silvis scaena coruscis
165 desuper horrentique atrum nemus imminet umbra.
166 Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum,
167 intus aquae dulces vivoque sedilia saxo,
168 nympharum domus: hic fessas non vincula navis

169 ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.
170 Huc septem Aeneas collectis navibus omni
171 ex numero subit; ac magno telluris amore
172 egressi optata potiuntur Troes harena,
173 et sale tabentis artus in litore ponunt.
174 Ac primum silici scintillam excudit Achates,
175 succepitque ignem foliis, atque arida circum
176 nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
177 Tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma
178 expedient fessi rerum, frugesque receptas
179 et torrere parant flammis et frangere saxo.

180 Aeneas scopulum interea conscendit, et omnem
181 prospectum late pelago petit, Anthea si quem
182 iactatum vento videat Phrygiasque biremis,
183 aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
184 Navem in conspectu nullam, tris litore cervos
185 prospicit errantis; hos tota armenta sequuntur
186 a tergo, et longum per vallis pascitur agmen.
187 Constitit hic, arcumque manu celerisque sagittas
188 corripuit, fidus quae tela gerebat Achates;
189 ductoresque ipsos primum, capita alta ferentis
190 cornibus arboreis, sternit, tum volgus, et omnem
191 miscet agens telis nemora inter frondea turbam;
192 nec prius absistit, quam septem ingentia vitor
193 corpora fundat humi, et numerum cum navibus aequet.

- 194 Hinc portum petit, et socios partitur in omnes.
195 Vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes
196 litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,
197 dividit, et dictis maerentia pectora mulcet:
- 198 'O socii - neque enim ignari sumus ante malorum -
199 O passi graviora, dabit deus his quoque finem.
200 Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis
201 accestis scopulos, vos et Cyclopea saxa
202 experti: revocate animos, maestumque timorem
203 mittite: forsan et haec olim meminisse iuvabit.
204 Per varios casus, per tot discrimina rerum
205 tendimus in Latium; sedes ubi fata quietas
206 ostendunt; illic fas regna resurgere Troiae.
207 Durate, et vosmet rebus servate secundis.'
- 208 Talia voce refert, curisque ingentibus aeger
209 spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.

- 418 Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
419 Iamque ascendebant collem, qui plurimus urbi
420 imminet, adversasque adspectat desuper arces.
421 Miratur molem Aeneas, magalia quondam,
422 miratur portas strepitumque et strata viarum.

- 423 Instant ardentes Tyrii pars ducere muros,
424 molirique arcem et manibus subvolvere saxa,
425 pars optare locum tecto et concludere sulco.
426 [Iura magistratusque legunt sanctumque senatum;]
427 hic portus alii effodiunt; hic alta theatris
428 fundamenta locant alii, immanisque columnas
429 rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris.
430 Qualis apes aestate nova per florea rura
431 exercet sub sole labor, cum gentis adultos
432 educunt fetus, aut cum liquentia mella
433 stipant et dulci distendunt nectare cellas,
434 aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
435 ignavom fucos pecus a praesepibus arcent:
436 fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
437 'O fortunati, quorum iam moenia surgunt!'
438 Aeneas ait, et fastigia suspicit urbis.
439 Infert se saeptus nebula, mirabile dictu,
440 per medios, miscetque viris, neque cernitur ulli.

- 494 Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,
495 dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno,
496 regina ad templum, forma pulcherrima Dido,
497 incessit magna iuvenum stipante caterva.
498 Qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi

- 499 exercet Diana choros, quam mille secutae
500 hinc atque hinc glomerantur oreades; illa pharetram
501 fert umero, gradiensque deas supereminet omnis:
502 Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus:
503 talis erat Dido, talem se laeta ferebat
504 per medios, instans operi regnisque futuris.
505 Tum foribus divae, media testudine templi,
506 saepta armis, solioque alte subnixa resedit.
507 Iura dabat legesque viris, operumque laborem
508 partibus aequabat iustis, aut sorte trahebat:
509 cum subito Aeneas concursu accedere magno
510 Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum,
511 Teucrorumque alios, ater quos aequore turbo
512 dispulerat penitusque alias avexerat oras.
513 Obstipuit simul ipse simul percussus Achates
514 laetitiaque metuque; avidi coniungere dextras
515 ardebat; sed res animos incognita turbat.
516 Dissimulant, et nube cava speculantur amicti,
517 quae fortuna viris, classem quo litore linquunt,
518 quid veniant; cunctis nam lecti navibus ibant,
519 orantes veniam, et templum clamore petebant.
- 520 Postquam introgressi et coram data copia fandi,
521 axumus Ilioneus placido sic pectore coepit:
522 'O Regina, novam cui condere Iuppiter urbem
523 iustitiaque dedit gentis frenare superbas,

524 Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
525 oramus, prohibe infandos a navibus ignis,
526 parce pio generi, et propius res aspice nostras.

527 Non nos aut ferro Libykos populare Penatis
528 venimus, aut raptas ad litora vertere praedas;
529 non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
530 Est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt,
531 terra antiqua, potens armis atque ubere glaebea;
532 Oenotri coluere viri; nunc fama minores
533 Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

534 Hic cursus fuit:

535 cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion
536 in vada caeca tulit, penitusque procacibus austris
537 perque undas, superante salo, perque invia saxa
538 dispulit; huc pauci vestris adnavimus oris.
539 Quod genus hoc hominum? Quaeve hunc tam barbara morem
540 permittit patria? Hospitio prohibemur harenae;
541 bella carent, primaque vetant consistere terra.
542 Si genus humanum et mortalia temnitis arma
543 at sperate deos memores fandi atque nefandi.

544 'Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter,
545 nec pietate fuit, nec bello maior et armis.
546 Quem si fata virum servant, si vescitur aura
547 aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris,
548 non metus; officio nec te certasse priorem

549 poeniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes
550 arvae, Troianoque a sanguine clarus Acestes.
551 Quassatam ventis liceat subducere classem,
552 et silvis aptare trabes et stringere remos:
553 si datur Italiam, sociis et rege recepto,
554 tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus;
555 sin absunta salus, et te, pater optume Teucrum,
556 pontus habet Lybiae, nec spes iam restat Iuli,
557 at freta Sicaniae saltem sedesque paratas,
558 unde huc advecti, regemque petamus Acesten.'

559 Talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant
560 Dardanidae.

561 Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur:
562 'Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.
563 Res dura et regni novitas me talia cogunt
564 moliri, et late finis custode tueri.
565 Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem,
566 virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
567 Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni,
568 nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.
569 Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,
570 sive Erycis finis regemque optatis Acesten,
571 auxilio tutos dimittam, opibusque iuvabo.
572 Voltis et his mecum pariter considere regnis;

573 urbem quam statuo vestra est, subducite navis;
574 Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
575 Atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem
576 adforet Aeneas! Evidem per litora certos
577 dimittam et Libyae lustrare extrema iubebo,
578 si quibus eiectus silvis aut urbibus errat.'
